

ANN. XIX - FASC. X

MENSE OCTOBRI MCMXXXII

# ALMA ROMA



C. DEL VECCHIO.



QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

*Nuperrime prodit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Edito altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### Fridianus - Francisculi prandium.

Singulæ pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

## PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMÆ collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 425 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 850, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMÆ** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XIX

Romae, Mense Octobri MCMXXXII

Fasc. X

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

### DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

#### De conjugatione verborum.

I. - Non semper transitiva<sup>2</sup> suo accusativo instruuntur; imo saepe significatio tenuis intransitive usurpantur. Huius modi sunt:

1º) transitiva, quae absolute ponuntur. Tunc semper suppleri potest accusativus; varie tamen pro circumstantiis; v. g.:

*Edit, legit, pingit.* (*Edit panem, legit librum, pingit tabulam*, vel quid simile).

*Prensat* unus P. Galba (*Cic., Attic.*, I, 1).

2º) transitiva, quorum accusativus olim exprimebatur, nunc autem reticetur; v. g.:

*Ille moverat* (castra) (*Cic., Attic.*, IX, 1).

— *Ad insulam appulerunt* (classem) (*T. L.*, XXXVII, 21).

*Clamabat se meruisse* (stipendum) cum L. Raecio (*Cic., De Suppl.*, 62, 161).

*Nos eo die coenati solvimus* (navem) (*Cic., Fam.*, XVI, 9).

3º) transitiva, quorum sensus reapse mutatur et in activo habent vim passivam, seu potius significationem intransitivam, aut frequentius reflexam; <sup>1</sup> v. g.:

Quod si esset factum, detrimentum in bonum verteret (= se verteret, verteretur) (*Caes., De bello civ.*, III, 73, 6).

*Terra movet* (= se movet, movetur) (*T. L.*, XXXV, 40, 7).

*Consuetudo deflexit* (= recessit, se deflexit) de via (*Cic., Off.*, II, 3).

*Abstinere* (se) iniuria (*Cic., Off.*, III, 17, 72).

II. - Contra, plura verba, per se intransitiva, transitivam quandoque significacionem induunt, et certos accusativos.<sup>2</sup> Sic legimus, v. g.:

*Callere* linguam, sensum alicuius.

<sup>1</sup> Multa verba ex transitivis intransitiva facta sunt, quia in eis frequentandis usus invaluit omitendi pronomina reflexa. Sic intransitiva esse possunt: abeo, abstineo, augeo, assuesco, continuo, decoquo, deflecto, diverto, reverto, incipo, inclino, lavo, laxo, muto, nubo, praecipito, remitto, turbo, verto.

<sup>2</sup> NB. - *Reverto* usurpatur praesertim in Perfecto et in temporibus e Perfecto formatis.

<sup>2</sup> Praeterea: a) Verba neutra passim admittunt accusativum eiusdem radicis aut cognatae significacionis, et hoc modo transitiva fiunt. Sic dicimus, v. g.: *Vitam iucundam vivere*; *longam viam ire*; *duram servire servitatem*; *similem ludum ludere*; *pu-*

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Verba transitiva sunt partim activae vocis, et proprio nomine appellantur activa; partim vocis passivae, et constituant partem deponentium; v. g.: *Deus amat homines* — *Caius imitatur patrem*.

*Fastidire* preces, mores alicuius.  
*Ludere* bonum civem.  
*Lugere* victoriam.  
*Sitare* gloriam, sanguinem... etc.  
*Sapientia* cor *intrat*.

III. — Plura verba, tam neutra quam deponentia, cum praepositionibus composita, transitiva sunt, quamvis eorum simplicia sint intransitiva;<sup>1</sup> scilicet:

*gnare pugnam, praelium...* etc. (Cf. ALMA ROMA, an. 1932, *De verbis eleganter omittendis*, IV).

b) Verba intransitiva generatim admittunt accusativos pronominum neutrius generis: *hoe, istud, illud, id, idem, quod, quid, aliquid, quiddam...* etc. Item neutra: *nihil, unum, pauca, multa*, et similia: v. g.: Dolores nunquam vim tantam habent, ut non plus habeat sapiens, *quod* (= *de quo*) gaudeat, quam *quod* angatur (Cic., *De Fin.*, I, 19). — Vereor ne tibi illum succensere *aliquid* suspicere (Cic., *Pro Deiot.*, 13). — Si grando *quidam* nocuit (Cic., *De Nat. deor.*, 3, 35). — *Utrumque* laetor: et sine dolore corporis te fuisse, et animo valuisse (Cic., *Fam.*, VII, 1). — Non *omnia, quae dolemus, eadem iure* queri possumus (Cic., *Pro Flac.*, 24). — Beneficio legis *nihil* utitur (Cic., *In Rul.*, 2, 23).

NB. — 1) Ita dicitur: *Hoc non dubito; istud tibi non assentior; illud labore, id stomachor; non possum idem gloriari; unum omnes student...* etc.

2) Pariter verba transitiva, praeter accusativum personae, possunt habere accusativum pronominale rei, ad mentem regulae «*Doceo pueros grammaticam*», v. g.: *Hoc* (= secundum hoc, de hac re) eos moneo: desinant furere (Cic., *Cat.*, II, 9). — Si *id* (= secundum id, huius rei) me non accusas (PLAUT., *Trin.*, I, 2). —

*Illud* te oro atque obtestor. — Sin tu, *quod* te iam dum hortor, exieris (Cic., *Cat.*, I, 5). — Non quo me *aliquid* iuvare possis (Cic., *Att.*, VI, 3). — *Pauca* pro tempore milites cohortatus (SALL., *Iug.*, 49).

c) Stilus poëticus, et quandoque historicus, ulterius etiam progreditur in adhibendis transitive, ad animandam elocutionem, verbis intransitivis; v. g.: *Morientem nomine clamat* (VERG., *Aen.*, IV, 674). — *Quercus sudabunt roscida mella* (VERG., *Ecl.*, 4).

NB. — 1) Sic dicunt poëtae: *Pallere, pavere, tremere, trepidare* aliquid pro *timere*; *ardere, deperire* aliquem pro *amare...* etc.

2) Nec minus audacter dixit Tullius: *Quum Xerxes maria ambulasset, terraque navigasset* (Cic., *De Fin.*, 2, 34).

<sup>1</sup> Huius praecepti sequens est ratio, non quidem pro omnibus verbis, at certe pro quibusdam: ipsae

10) multa composita ab *eo, cedo, curro, gradior, vado, venio*; quae verba motum versus locum significare possunt.<sup>1</sup> Sic dicitur, v. g.:

*Adire* aliquem, *anteire* proximos, *circumire* castra.

*Antecedere* cunctas nationes, *excedere* modum, *succedere* tumulum.

*Percurrere* regiones, historias; *praecurrere* rationem, *incursare* collem.

*Agredi* hominem, *egredi* modum, *ingredi* viam.

*Invadere* castra, *pervadere* oras Italiae.

*Antevenire* nobilitatem, *convenire* Laelium, *invenire* locum.<sup>2</sup>

20) composita ex intransitivis ac praepositionibus *circum, praeter, trans*; v. g.:

*Circumsedere* castra, *circumvenire* hostes.

*Praeterfluere* urbem, *praetergredi* moenia.

*Tranare* flumen.

30) plura composita ex intransitivis ac praepositionibus *ad, ante, in, inter, ob, praे*; quae, licet generali regula dativum poscant, tamen, vi suea praepositionis, eius loco alia aliis frequentius accusativum admittunt.<sup>3</sup> Sic dicitur; v. g.:

*Adequitare* portam, *adnare* littus, *attendere* oratorem.

*Antevertere* damnationem.

*Illabi* animum, *illudere* aliquem, *incessit* terror Etruscos.

*Interfluere* urbem, *interiacere* Capuam et aliam urbem.

praepositiones quae ad haec verba componenda inserunt, saepe accusativum iam sibi vindicant, ut: *ad, per, ante, praeter, in* cum motu ad, *circum...* etc.

1 Ceterum ex his nonnulla, vel eodem, vel diverso sensu, etiam intransitiva sunt: v. g.: *Antevenire, incursare, interiacere, obrectare, occumbere, tranare*.

2 Sed dicitur: *devenire, pervenire in* locum, *ad rem*.

<sup>3</sup> Ab hac regula discrepant (quia nunquam cum dativo construuntur): *adoriri* aliquem, *allatrare* Scipionem, *alluere* terram, *obsidere* urbem.

*Obrectare* alicuius laudes, *occumbere* mortem.

*Praestare* virtute peditem, *praevertere* cursu ventos.

IV. — Multa verba sunt, alia aliis notabiliore sensu discriminare, modo transitiva, modo intransitiva cum dativo vel cum praepositione constructa. Usitatora sunt: *abhorreo, aemulor, animadverto, ausculo, caveo, consulo, cupio, deficio, despero, impero, invideo, maneo, metuo, timeo, moderor, periclitor, praestolor, propicio, provideo, recipio, refero, respondeo, sufficio, tempro*; v. g.:

Massiliae *instituta* omnes laudare facilius possunt quam *aemulari* (= imitari) (Cic., *Pro Flac.*, 26). — *Iis aemulamur* (= invidemus), qui ea habent, quae nos habere cupimus (Cic., *Tusc.*, I, 19).

*Ardenter cupere* (= optare) *aliquid* (Cic., *Tusc.*, IV, 17). — Favere et *cupere* (= bene velle) *Helvetis* propter affinitatem (Caes., *De Bel. gal.*, I, 18).

*Sufficere* (= substituere) *consulem* (Cic., *Pro Mur.*, 38). — *Sufficit* (= satis est) unus *huic operi* (Mart., *Ep.*).

(*Ad proximum numerum*).

S. Leonardi in *Helvetia*.

I. Jss.

## AUDITUS ET MUSICE

Aurium sensum, quippe qui hominum conversationi inservit, necessarium Hyrcilius scripsit atque suspectui difficillimum; imo et cum humanae vitae ratione eradiatione et progressu arctioribus nodis colligatum.

Mundi namque res, quae nos circumversantur, aurium virtute directe percipimus, sonitus undas quae e vibranti corpore manant animo recipientes.

Dulcis sonitus puram voluptatem, etsi quisque eo vehementius ipsam percipiat quo aurium aciem exquisitiorem paratoremque spiritum habeat et variis motibus magis promptum, omnes tamen longe diutius quam ceterorum sensuum oblectamenta gustare possumus.

Hac autem virtute efficitur ut voluptum huius sensus copias quam maximas haurire absque labore vel detimento valitudinis nobis liceat, quod longe aliter in ceteris sensibus assolet. Sig. Hegelium admonentem audimus auribus nos vibrantes musices concordias capere, atque intimum corporum fremitum ad annum iis tantum transmittere posse; sonus quippe externus accidens est, quo transmissio, interna forma exsurgit. Visibile enim medium ipse derelinquit, atque externam tibiari vel cithararum figuram; animus vibrantem undam carpit, in ea immediate et unice delectatur, ea commovetur funditus, et ad opera, ad agenda quaevi potenter incitat.

Vim et chordam movendi canticis et musicae tributam omni aetate homines persenserunt, neque vates ferme, neque philosophi, aut naturae studiosissimi viri, alio ullo verbo mundi magnitudinem, ordinem, pulcritudinem sese exprimere posse censuerunt, quam quum dicerent *harmoniam*.

Aves ver novum cantantes, foliarum fremitus, rivuli murmur, procellae fragor, fulgoris strepitus, belluarum ululatus forte primi sonitus fuerunt, quibus homo abditam naturae vocem persensit, quaeque imitatus est, quum, rudi adhuc lingua usus, internis animi motibus patefaciendis studuit.

Cantus enim quasi sermo animae altissimus est habendus, quo toties intimos sensus exprimimus, quoties adeo vehementes illos erumpere sentimus, ut nulla iam verba ad ea exprimenda satis videantur. Hoc servari etiam ab inferioribus animan-

tibus conspicimus, quae inopinatis eventibus perculta, rei sensus voce plus vel minus grata eliciunt.

Homines nos gaudia maxima pariterque dolores cantu effundimus; ipso in gemitu mensura quaedam intima inest, ita ut a veritate non longe aberrare sit putandum quod de Pergolesio, Italo illo symphoniaco, tradunt, ipsum *Stabat Mater* hymni musicas notas ex acerbis matris cuiusdam singultibus ad nati patibulum deprompsisse.

Quae quidem iam antiquitus maiores animadverterunt. Orpheum enim lyra canentem novimus omnes tartarea regna transiisse incolumem et trigemini canis placasse latratus; Arionem delphinos cithara ludentem post sese traxisse; Amphonem Thebana excitasse moenia, quorum saxa dulcissimo cantu permota ad suum quaeque locum sponte congererentur; et Sirenum blandienti voce peremptos nautas; et Saul regis iram a David ludenti lyra sedatam; Timotheum tibia canentem Alexandrum ad bella movisse vel ad pacem flexisse, et Cleopatrae navem remigis actam, quorum impulsu tibia et cithara et avena suo rhythmo moderarentur. Aegyptii sic Graecique, musices sonitus cum religione sociantes, hanc consuetudinem Romanis tradiderunt. Christiani deinde cantu et psalmis barbarorum animos permulcere coeperunt, et byzantinis hymnis factum esse tradunt, ut primi Slavoniae populi sese ad Christum converterent. Philippus, Iberiae rex V, tunc tantum tristibus curis liberari dicebatur, quum Farinellum musicum dulcia canentem audiret. Donizetum animam agentem Robinii vox media una expergefaceret postremo potuit, *Luciae*, musici operis ab auctore exarati, melodem quamdam illi canens. Mozart pariter morti proximus filiam obsecravit, ut cantiunculam diceret, quam potissime adamaverat.

Sed et neces, et crimina, et dolores innumeros cantus et harmonia quoque

praepedierunt. Musice enim et cantus constanter atque similiter semper animum afficiunt quoties percipiendi sensus exquisita homines facultate praediti sunt, unde gaudium vel tristitia, virtus vel metus, fiducia vel depressio, alacritas vel inertia in audentibus pariter gignuntur. Quare artis huius magistri, musicam veluti puram sensuum expressionem concordes affirmant. Attamen ne haec quidem ars intentos medicorum oculos effugit, qui diutissime studiis operam dederunt, multaque reperierunt, eos praecipue considerantes effectus, quos in hodierna hominum societate musicē provocat, atque in singulis hominibus.

R. S.  
Doctor medicus.

## HADRIANI MOLES ROMAE

Duodevinti ferme a saeculis extans Hadriani sepulcrum Romae novos induit usus, nova per nomina et a constituto longe diversa ferme raptatum, (sit venia verbo), mole sua tamen immani idem stat quale fuit, contra quam nec anni nec barbari potuerunt. Praeclara amisit, quibus eminebat, ornamenta, quis neget? Sacrum olim quieti et cineribus hominum aedificium militaribus rumoribus et clangoribus, mortisque ferendae industriis et artibus vovet; tuendis vivis adhibetur locus, qui mortuis unice fuerat praeparatus, reiectisque ac repudiatis aeneis marmoreisque simulacris mira conflatis arte atque dolatis, aenea tormenta bellica exceptit, quibus late in vivos exterminia et clades ingereret.

Hadrianus Imperator Augustus, quo aut nullus, aut vix alius Musarum disciplinas optimas artesque humanas vehementius altiusque sensit, Urbem, finitimasque regiones, Tiburtinas praesertim,

monumentis, aedificiis mirabilibus postquam implevit, quibus Romanos ausus delicatissimae Graecorum indoli copulaverat, animum eo advortit, quo veluti vitae suae splendidissimae ingeniosque uberrimi atque ad ingenuas artes aptissimi compedium excitaret, idque perpetuum nominis sui mnemosynon esset, ornamentum simul atque incrementum.

Ingens igitur soli spatium iuxta Triumphalem viam in dextro Tiberis litore occupavit ad hortos Domitiae gentis, ibique Parii marmoris rupibus centum et quatuor per metra porrectis, quadrata namque basis, rotundum aedificium imposuit, intus tophaceis molibus ac Tiburtino saxo extructum, extra multiplici et multicolori marmore varium, quod columnarum duplice ordine ornavit, capitellis omni Pallade decoravit, statuasque addidit incundas visu, adspectu mirabiles, numeris perfectionis omnimode absolutas atque expolitas. Duplicem hunc ordinem zonis duabus coronavit affabre exsculptis, anconibus, proieturis, mutulis, echinis, denticulis, triglyphis suo quaeque loco dispositis; omnia ad architecturae praeeceptum distribuit, perfectique; ita quidem, ut dum per cochlearem scalam in interiori est ascensus ad penetralia, ubi ad summum ventum esset, septuaginta ac tria metra a solo eminentem in collem, cupressis consitum, egressus pateret.

Tunc duplex ille ordo marmoreus columnarum simulacra quamplurima sustentabat aperto caelo spatiantia, atque inter haec et viridescentem collem via erat, qua summo monumenti culmine potiretur invisens. Ibi supremam camerae contignationem aeneam illam pineam, quasi fastigio imposito, assurgere praedicarunt, quae in media platea ante basilicam S. Petri primum posita, deinde in Vaticanum Palatium translata in loco superiore atrii illius, cui vulgo a pulcro visu (*Belvedere*) nomen est inditum, servatur adhuc; aeneique pa-

vones, qui una cum pinea eodem in loco nunc sunt — duo tamen supersunt tantummodo — honorem loco addebat. Hae aves quasi mirabile quoddam conflatum ex aere habentur, nec deest opinio plures fuisse per cancellos in apicibus dispositos, quibus monumenti infima concludebantur. Limini imminebat ingens Hadriani simulacrum, quod effossum, olim loco quippe exciderat, atque a solo erutum in musei Vaticani aedes inductum est, sculptoriae artis opus egregium.

Pontem insuper ad Mausoleum fecerat in Tibri flumine, qui durat adhuc, duobus arcubus nostra aetate auctum; praeter hos autem omnia retinens ab antiquo a fundamentis ad viam. At Hadrianus pontem duabus et quadriginta columnis ditaverat ipsum, prouti in quodam numismate conspicitur, perque columnas trabeationem deduxerat, et cuprio contexerat. Pontem a suo nomine Aelium nuncupavit.

Imperante Honorio, integra omnia adhuc exstabant; et si historicis adhibenda fides, ipsius Honori primum consilium fuit de convertendo, aut saltem de fruendo aedificio ad Urbis defensionem, barbarosque arcendos. Hinc restaurans Aureliana mœnia muros addivit monumento, quos ad Tibrim usque produxit.

Octavo post Christum saeculo, funebres de Lucio Aelio Aurelio Commodo, qui Pertinace Augusto iubente ibi sepultus fuerat, de Lucio Aelio Caesare Hadriani Aug. adoptivo filio, de Antonino Pio, de Faustina priore de M. Aurelio Fulvio Antonino Antonini Aug. filio, de Aurelia Favilla, eodem ab Augusto nata, de Marco Aurelio, de Tito Aelio Aurelio, de Domitia Faustina inscriptiones adhuc legebantur.

At iam quanta passa erat pulcherrima moles!...

Quae primum Hadriani Mausoleum, sepulcrum, monumentum, templum nuncupata, mox Gothico aestuante bello, barbaris invadentibus, depopulantibus, furiantibus

Castrum Theodorici (an. CDLXXXIII-LXIII) appellari coepit est, simulacris, ornamenti in aggredientes hostes ab excelsa proiectis. Tum columnae ablatae sunt, quibus S. Pauli basilica exornaretur.

Crescentius consul arce illa potitus, affectans tyrannidem, a suo nomine arcem dixit, diuque nomine hoc nota fuit, usque dum ab Othono III Augusto inde expulsus est. In potestatem Romani Senatus reverterat, a quo Pontifices accepertunt, et Pontificium castellum dici coepit, Bonifacio IX de Tomacelis pontifice.

Qui hunc sequuti sunt, singuli de munienda arce curare, opera addere, munitio-nes excitare novas intus et circa, in quibus Alexander VI p[re]a ceteris.

Nec praetereundum censeo simulacrum Michaelis Arcangeli in fastigio emicantis, quasi gladium vagina recondere, caede diurna satiatum. Saeviente enim lue, anno DVCV Gregorius ille Magnus pontifex, quem una cum populo supplex procederet effusus et ipse in lacrimas, ut resideret flagellum, vidisse dicitur illo in cacumine stantem Angelum, ferrumque reponentem, vocemque audivisse, qua moneretur de placata Dei ira. Tunc erectum ipso in apice sacellum fuit, vocatumque Sacellum S. Michaelis Arcangeli inter nubes; fatiscente hoc sacelli loco simulacrum ad pennandam facti memoriam ex marmore positum fuit, visendum adhuc in aedibus ipsis inferioribus, in quas deductum est. Excitaverat hoc opifex, cui a Montelupo nomen. At Benedicto XIV Pontifici optimum visum est aeneum constituere signum, et, opifice Verchaffelt Germanico, rem votumque absolvit.

Nunc autem, quatuordecim circiter post saecula ab iis, quae belli sunt, Castrum S. Angeli (ita enim nostra aetate vulgo moles appellatur) ad mitiora fata visus est revertere; amotis quippe ab arce, quot sunt, armis nunc ad pugnas excogitatis, museum ibi constitutum est, in quo obso-

leta iam arma sunt congregata, visitantibus et praeterita scrutantibus optimum promptuarium.

At de monumenti vicibus loquutus, finem facere non possum quin commemo-rem spectaculum illinc usque ad nostros dies quotannis Romano populo oblatum, ignium noctu pictorio more mirabiliter coruscantium. Aptaverat arcis loco lineisque adstruxerat Michael Angelus Bonarotius primum, mox Berninius, qui plura addens et plura perficiens ex iis, quae reliqua erant, rem dignam non Urbe modo, sed huius propriam et singularem fecit. At ex periculo non levi, si ignita vis extra tempus et omnis simul conflagrasset, ne in museis nunc thesauri reconditi flammis absumerentur, in montem Pincium spectaculum delatum fuit.

G. P.

## PUERI<sup>1</sup>

Quo tristimoerore domus submersa, velut si tecto impenderet quae nescio desuper umbra, undique cum fremeret magna urbs, plerumque iacebat!

Hospitio puerum namque excipiebat amico turmas, quas patriis mox lamentabile ab oris excidium expulerat, crudelia corpore toto parvo hunc praebentem miseranda signa ruit,

[nae, atque alium tamquam deiectum mole doloris. Dulcis ubi mater?... Nonnullae molibus iactae usque videbantur natos revocare tenellos,

ultima quo iamiam Libitiniae ab sede liceret oscula ferre suis sibi nunquam deinde videntur;

[dis; ast aliae errabant loca tum gemebunda do-

lentes

<sup>1</sup> Carmen in certamine poetico Locrensi.

insanaeque comis passis per cuncta vocabant num vocem pueri tantillam mortis ab umbra captarent rursus; genitos pars denique caros noverat ablatos summa pietate periclis et procul a domibus fractis ac dulcis amore matris abesse pio... Quo abducti degere vitam fas erat ignotis amissio nomine natis? Sollicita rogitant dum matres usque loquela, effuse lacrimis manantibus ora rigabant.

Ast inter tanta posita regione viarum ignari pueri maternas pectore questi optabant curas. Non iam per aperta videbant vela freti sicali placidis dare lintea ventis nec naves igni latebroso e ventre furenti motas caerulei proscindere marmora ponti, vel Calabros contra fractos se extollere colles, Rhegium et in speculo undarum fluitare se-

[reno.

Cuncta illuc aderant miseris nova, namque, [domorum blanditiis rapti fato impellente suarum, non tum maternum captabant corde susurrum quo nil auriculis resonaret dulcius unquam. Quod vocem interdum si quondam audire mi-

[sellis

fas erat et flavis mulcebat more capillis lenta manus quaedam, pueri si mollia saepe oscula carpebant, matris non oscula caraenorat adesse sibi quisquam, nunquam aur-

bus illa

dulcior ingenuis vox matris voce sonabat, quae totiens animos illorum mulserat olim res priscae gestas aetatis, proelia, reges et fatas narrans immenso lumine claras atque auro et quidquid pueris sub vespere

[posset

vel lacrimas removere simul curasque tenellis, dulce et longinqua regione adducere somnum.

Tristia cuncta aderant, taetrum caelum-

[que doloris

esse videbatur quaedam puerilis imago: tempore namque hiemis fusus de nubibus

[usque

quandoque aethereis crepitabat murmure longo imber, et infenso spoliatos frigore ramos extremis foliis nudabat turbine ventus,

At cum depulsis e caelo nubibus almus udis iactabat sol tandem lumina terris atque hortus placida ceu vitam luce bibebat, immemores pueros viridaria saepe videres per tacita huc illuc procurrere, lusibus omnes intentos tanquam instant sibi nulla pericla. Hic longa saliens equitabat arundine prin-

[ceps

cuius clamantis pariter vestigia cursu parva sequebantur longa ipsi in arundine

[nati,

lora ut si quisquam pullis laxaret equorum. Hic terram foveis terebrabat parvulus, illic rite per areolas tantillum ducere rivum gaudebant alii, minimum vel saepibus hortum cingere quisque suum minimis certabat op-

[mum.

Ast umbrae tacitae cum vespere triste cade-

[bant,

corporaque adsiduo ludorum fessa labore iamiam spernebant optata crepundia nuper, omnes tristitia mentem qua nescio capti haerebant lacrimas non nunquam corde cien-

[tes.

Namque animi memoris paulatim flamine [ductis quaedam melliflue vultu suadente subibat, esset ubi natus, veluti si exquirere vellet ex cunctis... Imo puerum de pectore maesta una ferit circum tacitura silentia: —

[Mamma! —

Quamvis multa dies ex saevo tempore abi-

[set

motus quo terrae dederat tot funera stirpi atra, tamen miseris insontibus una manebat illius multo suffusae sanguine noctis

[tristis

imago. Leves interdum saepe pueri conveniunt taciti, fractis verbisque loquuntur multa recordantes caraen genitricis ab ore quae quondam audierant trepidi dum cuncta

[renident

lumine. Dein querulis quae ferre crepundia

[nuper

cuidam pergratum arripiunt luduntque fre-

[quentes

immemoresque sui replent clamoribus aedes.

Sic primae aetatis ducentes tempora, sae-  
[vus]  
ex quo tranquillis domibus disiecerat omnes  
horror fatorum, reliquis prae foedera natis  
dulcis amicitiae duo coniunxere sodales  
parvi, quos aetas similis, color atque coma-  
[rum]  
fulvus et argutae puerilia murmura vocis  
cunctis materna tamquam una ab origine fac-  
[tos]  
esse fatebantur; frontem sed vulnus acerbum  
alterius pueri mox, heu, laniaverat albam  
cum domus immensa cecidit perfracta ruina.  
Ut laeti interdum ludis puerilibus una  
cum reliquis, tacita vel soli in parte remoti,  
omnibus ex animo curis lacrimisque fugatis,  
se dare gaudebant! Parvum namque alter ha-  
[bebant]  
plostellum, follem nitidum volitare paratum  
si quis vel tenui longe compelleret ictu,  
villosamque alba decoratam veste bidentem,  
atque alia hic illuc cumulantia munera lectum.  
— Cernis ovem (atebat patrio quem more vo-  
[cabant]  
Lillum), Hugo, cernis tam pulcrum tamque  
[pusillam],  
oscula cui rident, nitidam quam vestit amictus  
laneus? — Haec fatus digitis stringebat ebur-  
[nis]  
quae, mirum, βη βη perparvo gutture circum-  
clamabat, puerique stupentes ore micabant.  
Disposita hinc ferri gemina vestigia lamna  
quisque sui ut velox procurrens viseret orbe,  
currus tantillo en machina nigra trahebat  
in gyrum; ante aderat ferrugine tinctus et  
[ipse]  
ductor et interdum iactabat sibila, curru-  
ex tenui quidam loca dum spectare videtur  
quae fugiunt rapido monstro currente volatu.  
« Quis tibi, Lille, dedit tam bella crepundia?  
[Mamma]  
num dedit? » — « Heu, minime » — « Supe-  
[rest tibi mamma, bonus quae  
si extiteris semper, tibi det munuscula, Lille? »  
— « Mamma quidem superest peregre, sed  
[nescio... longe... » —

« Nonne tibi genetrix semper bene, Lille, vo-  
[lebat? » —  
« Tantum! — Paulatim mox cara crepunc-  
[dia lecto  
spreta quiescebant sanctaeque in imagine ma-  
[tris]  
delicias cura volvebat quisque remorsus.  
« Quae, dic, care, dedit postremo vespre  
[verba? » —  
« Haud memini... Amplexu flammis crepitant-  
[tibus arcto  
ante focum fovit; sapiens dein plura locuta  
suavia blanda dedit, cubitum tulit inde, levis-  
[que  
composuit lecto. Media tum nocte deiscens  
terra mihi visa est magno resonante boatu;  
clamorem audivi longum gemitusque frequen-  
[tes  
et ruere hinc visus... Nil post, caligine nam-  
[que  
immensa opplebar nimbusque replebat apertas  
pulvireus fauces. » — « Ecquid matercula? »  
— Contra:  
« Nil memini; peregre est; natum me expec-  
[tat... » Et illi,  
.his dictis, oculi lacrimis luxere tenelli.  
At genetrix vitam quo extremis funere ter-  
[ris  
degebat miseram! Nam quoniam ignara tulis-  
[sent  
dulce caput pueri, per amara silentia saepe  
errabat velut umbra sui fletusque ciebat,  
olim speraret quamvis se posse puellum  
amplexu tenero tandem mulcere repertum.  
Vix primum natum longinqua repperit urbe  
esse suum extemplo genetrix se contulit illuc.  
Sollicito iunumeras, pullo circumdata peplo,  
cui vir compressus perfracta mole iaceret,  
vultu incedebat multis comitata per aedes,  
huc illuc puerum materno lumina sensu  
luminibus figens ut natum agnosceret alnum.  
Forte puer, frontem vulnus cui nuper acer-  
[bum  
foedarat, tum una cum parvo rite sodale  
plura loquebatur postremo vespre maestus,  
ac totum immemori dederat se pectore ludis.

Albula ovis, grave plostellum currusque, rue-  
[bat  
lamnis qui geminis rapida vi motus in orbem,  
et tenuis follis variisque coloribus illae  
quae totiens animos puerum allexere figurae,  
inscia natorum tum corda oblitera tenebant.  
Mater ubi infelix, iam felix, ora tenelli  
conspexit pueri: « Lille! », inquit. Natus ad  
illa  
verba caput tollit, subito dein murmure:  
[« Mamma,  
mamma! » ait; impliciti simul oscula dulcia  
[libant  
atque uno amplexu sociati corde fruuntur.  
Paulo post autem, nitido cum induitus  
[amictu  
una cum genetrice puer multaque corona  
alba relinquebat loca, quae tot signa doloris  
mulcebant, natum magnus quasi moeror ha-  
[bebat  
tamquam aegre hospitium sociosque relinquere  
[parvos  
ferret quies esset totiens puerilibus usus  
lusibus... En subito repetit vestigia retro  
Hugonemque fovet, dulcem et sibi comprimit  
[ore;  
inde manu arripiens quae cara crepundia  
[maestae  
tantum laetitiae dederant, currunque pusil-  
[lum  
atque leves folles et ovem bene gutture vocem  
edentem parvumque caballum ensesque deco-  
[ros,  
omnia subrisu comiti proiecit amato:  
« Haec herus, inquit, habe! valeas... » Rur-  
[sum oscula uterque  
misicit, inde puer matrem est comitatus eun-  
[tem.  
Catacii in Bruttii.

JOSEPHUS MORABITO.

— Proprium est stultitiae aliorum vitia cernere,  
oblivisci suorum.  
— Ad concilium ne accesseris antequam voceris.  
— Annosa vulpes haud capitur laqueo.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES  
A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE  
LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE REFLEXIONE UNDARUM ELECTRICARUM.

Inter quaestiones quas in Statione Radio  
Vaticana persequimur non ultima profecto  
est inquisitio de reflexione undarum a stra-  
tis aëreis.

Agitur de emittendo signo per modu-  
lationem undae ferentis, et de eo iterum  
recipiendo.

Captatio undae redeuntis fit in eodem  
loco ubi et emissio, antenna recipiens non  
distat nisi aliquot metra ab antenna emit-  
tenti, ita ut id quod forte redeat nobis non  
sit nisi quod a stratis superioribus per re-  
flexionem octogonalem remittitur.

Methodus quam adhibemus est in emit-  
tenda, per apparatum quem *belinogra-  
phum* appellamus, simplici quadam deli-  
neatione, tum alba super cartam nigram,  
tum nigra super chartam albam, quae  
recipiatur per scriptiōnem photographicā  
eiusdem apparatus.

Tunc, si forte undae redeuntis adsint,  
in scriptam inveniemus non tantum deli-  
neationem transmissam, sed eius reiterationem  
ex reflexione, simul cum mensura  
temporis intercedentis.

Si quid iam nunc inde inferendum est,  
hoc videtur, haberi nempe generatim re-  
petitionem signi emissi, vel quod dici etiam  
solet, *echum*, aliquot millimetri decima ab  
ipso signo emisso dissitum; aliquando vero  
repetitiones fiunt quatuor vel quinques,  
semper eodem temporis intervallo inter  
se dissitae.

Quod si interpretandum sit, dici potest  
rem ita se habere ut si inter superficiem  
terrestrem et stratum reflectentem undae  
stationariae efformentur.

Temporis intervallum est ordinis millesimae partis unius momenti secundi, et sic distantia stratus reflectentis ad aliquot chilometrorum centena computanda esset.

I. GIANFRANCESCHI.

DE PROGRESSU IN ANALysi QUANTITATIVa  
SPECTRORUM.

Iam aliquot abhinc annis plures conati sunt ex inspectione spectrorum analysym chimicam elementorum deducere, sed tantum ultimis temporibus deductiones vere utilles habitae sunt.

Et primo quidem ex spectris absorptiōnēs deduci potest concentratio solutionis.

Notum est ex inspectione huiusmodi spectrorum, photographice depictorum, deduci posse legem extinctionis iuxta formulam

$$E = \frac{I}{c.d} \log \frac{I_0}{I}$$

in qua  $I_0$  intensitatem initialem lucis designat,  $I$  intensitatem post absorptionem,  $c$  concentrationem solutionis,  $d$  longitudinem viae lucis in solutione.

Si  $E$  cognita est ut functio undae longitudinis pro quadam solutione, et ratio  $I_0/I$  photometrice, e.g. sectore rotante, determinatur, ipsa solutionis concentratio deduci potest.

K. Schaum, F. Twyman, F. Weigert et alii has et similes methodos ultimis annis valde perficiebant.

Methodus analysis quantitativa ex spectris emissionis introducta est a W. N. Hartley et A. de Gramont per observationem linearum residuarum (*Restlinien*), quae in spectro elementi primo apparent et ultimo evanescunt.

Ulteriores progressus ab A. Schleicher, J. Clemort, W. Gerlach et E. Schweitzer facti sunt.

Observant inter alia quae binaria homologica dicuntur (*homologe Paare*), quae

e.g. in systemate Sn-Pb valde proxima sunt, et ex ratione intensitatis eorum quantitatē componentium eruunt.

Difficilior videtur applicatio pro substantiis aëris formibus. Initum quoddam huismodi inquisitionis ipse feci, quatuor praecipua componentia, N, O, H, CO<sub>2</sub> varia ratione miscendo et ad emissionem excitando.

Per photometriam horum spectrorum quantitative analysis elementorum possibilis videtur.

Fusius de his in *Physikalische Zeitschrift* 33 p. 64-73 locutus sum.

A. GATTERER.

DE INQUISITIONE IN VELOCITATEM PROPAGATIONIS GRAVITATIS.

Tomaschek et Schaffernicht in officina physica Athenaei Marburgensis insistunt in mensuris gravitatis, ita ut remotis omnibus perturbationibus, variationes diurnas decernant, et hinc motus ipse terrae per aetherea spatia deducatur.

Initio huius anni, per epistulam a commentario londinensi *Nature* editam, scimus eos in mensuris gravitatis praecisionem attigisse, quae octavam cifram decimalē respicit.

Apparatus quo usi sunt est quoddam *gravimetrum bifilare*, quod in capsula vitta, hermetice clausa, servatur, et in cubiculo in sinu montis exciso detinetur.

Mense elapso recentiores deductiones in eodem commentario publici iuris fecerunt.

Ex eorum delineationibus variationes diurnae gravitatis solis et lunae attractionem sequentes perbelle exsurgunt.

Ex tam felici exitu, praesertim in effectu lunae attractionis describendo, quaestio induci posse videtur, utrum possibile evadat ex ipsis diagrammatibus aliquid deducere circa gravitatis velocitatem.

Si enim minimum gravitatis quoddam est tempus **tau** post transitum lunae per meridianum, videtur tempus illud assumi posse ut tempus a gravitate adhibitum ut a luna ad terram transeat; et sic velocitatis mensura permitteretur.

Relationes ab Auctoribus missae non agunt de praecisione in mensura temporis, sed difficultas ex hac parte non videatur insuperabilis, et forte non absque possibilitate foret tempus **tau** usque ad decimam partem secundi computare. Quod certe iam pretiosus esset exitus.

I. GIANFRANCESCHI.

NOTITIUNCULAE.

Doctor Aston in Cavendish officina reproducere photographice valuit spectrum massae helii bivalentis et isotoporum oxygenii, quorum massae 17 et 18 sunt.

Idem potuit recentius determinare pondus quoque atomicum tantalii et niobii, pro quibus adhuc incerti valores dabuntur. Certiora pondera haec sunt: pro tantalio 180,89; pro niobio 92,90.

Notum est tum campum electricum, tum campum magneticum agere in tracterias electronum: earum actio comparari potest cum actione quam lentes vitreæ et superficies speculares in radios lucis exercent.

Iam de construendis opticis instrumentis pro radiis electronum plures loquuntur, immo in commentario *Die Wissenschaften* referuntur conclusiones observationum, quae per microscopium electronicum habitae sunt.

Recentissima experimenta ab I. Curie et F. Jolliet peracta in officina Curie, Parisii, confirmant emissionem neutronum e lythio.

NOTITIAE.

DE SYSTEMATE AMPLIFICATIONIS IN CONVENTU DUBLINENSI.

Distributio apparatus ad vocem amplificandam, quae facta est Dublini, pro mundiali conventu ad celebrationem Eucharisticam, maxima exstitit quae hoc usque inducta fuerit.

Quingenti circiter magnae vocis apparatus distributi sunt in ipso viridario centrali et per urbem.

Duplex statio apparatus alebat, quarum praecipua in loco ubi solemnia celebabantur.

Haec autem quadraginta ampullas thermionicas complectebatur, in undecim stadiis amplificationis.

Voces canentium comitabatur solum harmonium, cuius soni tamen opportune amplificabantur, ita ut potens organum aequarent.

Vox Celebrantis audiri potuit a mille millibus audientium.

Vox ipsa Summi Pontificis, e Vaticana Sede loquentis, bene auditā est in immenso viridario.

Totius systematis instructio a *Standard* societate facta est, ipso domino Monaghan, Societatis praeside, rem moderante.

COLLOQUIA LATINA

XI.

Cubiculum et lucubratio.<sup>1</sup>

PLINIUS, EMMANUEL, CELSUS, DIOMEDES.

PLINIUS. - Hora est a meridie quinta. Heus, Emmanuel, claude mihi fenestrā istas et infer huc lumina.

EMMANUEL. - Quae lumina?

<sup>1</sup> Ex colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES. - Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

PLIN. - Interea, dum amici hi adsunt, candelas; ubi secesserint, tolles eas et statues hīc mihi lychnuchum.

EMM. - Quorsum id?

PLIN. - Ad lucubrandum.

CELSUS. - Quin studes potius de mane? Tum enim videtur et temporis ratio et qualitas corporis invitare, quum est minimum vaporum in cerebro.

PLIN. - Etiam haec hora tranquillissima est, quum quiescant et silent omnia.

CELS. - Cur lucubras ad lychnum potius, quam ad candelam; quin immo non te inducis ad electrica nunc splendida luce utendum?

PLIN. - Quia haec meos offendit oculos, non minus quam ille tremor myxi quae in candelis est. Lychni, ex adverso, flamma aequabilis oculos parum laedit. Emmanuel, ergo, infunde oleum in lucernam, profer acu myxum et exfunga.

EMM. - Quam haeret fungus acui! Siquid dicunt esse pluviae.

PLIN. - Affer etiam furcinulam, et emun ge candelam hauc. Ne proiicias fungum in pavimentum, ne fumiget, sed opprime intra furcinulam, quando est contecta. Profer mihi pallam lucubratoriam, praelongam illam pellitam.

CELS. - Ego te tuis libris commendabo. Minervam tibi opto propitiam.

PLIN. - Paulum malim, vel (quod dicere debui) Christum Iesum, Dei Sapientiam. - Emmanuel, statue mensam super tibicines in cubiculo.

EMM. - Mavis mensam quam pluteo. Ium?

PLIN. - Etiam, hoc quidem tempore; sed pone super mensam pluteolum.

EMM. - Stabilem an volubilem?

PLIN. - Quem malis. Ubi est Diomedes meus a studiis?

EMM. Eo illum accersitum.

PLIN. - Et huc adducito puerum exceptorem, nam lubet aliquid dictare. Da mihi illos calamos et penniculas duas aut tres

et thecam pulverariam. Profer mihi ex armario Ciceronem et Demosthenem; tum ex pluteo codicem exceptorum et regesta maiuscula. Audin'? Et mea schedia, in quibus libet nonnulla expolire.

DIOMEDES. - Non arbitror esse schedas tuas in pluteo, sed in scrinio conclavis.

PLIN. - Id vero ipse scrutator. - Affer mihi Nazianenum.

DIOM. - Non nosco.

PLIN. - Liber est minime spissus, consutus et tectus membrana ruditer. Affer quoque codicem quintum a primo.

DIOM. - Quod est thema illius?

PLIN. - *Xenophontis commentarii*: liber est expolitus, tectus corio cum uncinulis et umbilicis cupreis.

DIOM. - Non invenio.

PLIN. - Nunc memini: in quarto loculamento eum reposui; illinc prome. In eo loculamento non sunt nisi libri soluti et rudes, quales afferuntur ab officina.

DIOM. - Ecquod corpus Ciceronis poscis? Nam sunt quatuor.

PLIN. - Secundum.

DIOM. - Nondum est relatum a librario glutinatore, cui dedimus nudius, ut puto, quintus.

EMM. - Animadverte, factane sit robiginosa haec tua penna.

PLIN. - Non sum in hoc valde sollicitus: quaecumque in manus venit, ea sic utor tamquam bona.

DIOM. - Hoc habes Ciceronis.

PLIN. - Conquiesce. Reclude mihi hunc Ciceronem; aperi, evolve adhuc tria aut quatuor folia ad quartum *Tusculanarum quaestionum*: quaere, ubi de mansuetudine et laetitia.

DIOM. - Cuius sunt hi versus?

PLIN. - Eius ipsius, quos de Sophocle vertit; quod facit sane lubens ac proinde saepe.

DIOM. - Erat, credo, ad carmen compendum satis aptus.

PLIN. - Aptissimus ac facillimus, nec, ut

illo saeculo, infelix, contra quam existimant plurimi.

DIOM. - Sed tu quomodo intermisisti studium poētices?

PLIN. - Aliquando repetemus subsecivis horis, ut spero: nam habet multum levamenti a studiis gravioribus. - Defessus sum iam studendo, meditando, scribendo. Emmanuel, sterne mihi lectum, pone super culcitam plumeam, alteram tomenti lanei; vide ut fulcra lecti sint satis firma.

EMM. - Quid refert tua, qui non cubas in alterutra spondarum, sed in medio? At salubrius foret si lectus esset durior, et qui corpori resisteret.

PLIN. - Tolle cervical, et pro eo repone pulvinos duos; et, in hoc aestu, malo plagam illam, quam arcta isthaec linteae.

EMM. - Sine lodice?

PLIN. - Etiam.

EMM. - Algebis, nam surgis e studiis extenuato corpore.

PLIN. - In iuste ergo peristroma aliquod leve.

EMM. - Istud? Nullum aliud stragulum?

PLIN. - Nullum; si sentiam frigus in lecto, poscam plus vestium. Aufer illa petasata, nam ad culices excludendos malo conopoeum.

EMM. - Culices hīc paucos sensi.

PLIN. - Ego vero miror te aliquid sentire, qui sic dormias et stertas!... Colloca hīc mihi horologium excitatorium et obicem infigito ad horam quartam matutinam; neque enim volo diutius dormire. Excalcea me; pone hīc sellam plicatilem, in qua sedeam... Nescio quid hīc olet male; suffla paulum thuris aut iuniperi.

EMM. - Ecce tibi in omnibus satisfeci. Placidam noctem!

PLIN. - Tantundem tibi reprecor.

— *De lingua stulta veniunt incomoda multa.*

— *Quod tibi non optas, alii ne feceris.*

## AD SANITATEM TUENDAM

*Aphorismi sive praecpta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.*<sup>1</sup>

§ 488. - DIOCLES (*3. locor. affector.*) describit morbum hypochondriacum, aitque sedem in ventriculo esse. Eam morbi hypochondriaci speciem describit, cuius causa excitans est in ventriculo acria etc. continente. Idem sentit etiam Galenus (STOLL.).

§ 489. - NOVERAT et GALENUS et BALLONIUS aliam speciem morbi hypochondriaci, quam Galenus vocat *melancholicam cerebri passionem*; Ballonius vero *melancholiā cerebralem*, quae cerebrum scilicet primo et per se occupat. De hac specie Galenus ait: Fit melancholica cerebri passio, affecto prius calidis dispositionibus cerebro, aut aestuatione, aut phlegmonosa passione, aut phrenetide, interdum a sollicitudine, moestia cum vigiliis. In melancholia cerebralī Galenus et Ballonius mali sedem in cerebro statuerunt.

§ 490. - Qui sunt corpore squallido, macro, sicco, pulsu satis infirmo: aut qui praerubri sunt (*έξεφύσποις* Graeci vocant), ii melancholiae hypochondriacae sunt obnoxii. Item qui curis, aegritudinibus, perturbationibusque animi concutiuntur; qui generosis vinis sese dediderunt, eos in melancholiā hypochondriacam praecipites ruere testatum satis est. Inde hypochondriorum aestus, inaequalitas in calore et frigore, vincente, victoque calore, et materia superante calorem, et ab eodem superata. BALLONIUS notat: «In melancholia cerebralī videtur illam morbi speciem describere, ubi omnibus rite se habentibus, praesupposita nimia fibrarum irritabilitate, caussa excitans sive stimulus admodum spiritualis est ». (STOLL.).

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

§ 491. – In melancholia hypochondriaca unum quoque observandum est, ne similitudinis errore decipiatur, nimirum quod in thorace dolores sentiantur, ac si pleuritidis argumenta aliqua forent. Et ignari medici male configunt ad pleuritiden, quem dolor iste per hypochondrii sympathiam oriatur. Ita BALLONIUS.

§ 492. – In omnibus illis morbis, qui partes illas obsident, quae nutritioni dicatae sunt, praecipuum curationis momentum in optima victus ratione consistit.

§ 493. – GALENUS ait (*in Comment. in pront. quamd. 2 prorrhet.*): Neque ventre aut hepate, aut septo inflammato, febris maligna est: forsitan acuta est; sed ne hoc quidem perpetuum est. STOLL notat:

« Ergo morbi inflammatorii, per se, maligni non debent appellari: praeterea possunt dari internae inflammationis topicae absque febre universalis. Talis interna topica inflamatio, in suppurationem abiens, subinde mortem afferre potest. Sic si modica particula pulmonis inflammetur, e. g. *tuberculum pulmonale*, excitata suppuratione phthisis, et inde mors oriri potest. Tales phthises oriundae frequentes sunt, quum nulla febris adest, aut exigua, quae topicam pulmonis inflammationem manifestet. Sic modicus catarrhus male curatus, saepe in phthisin abit. » Huc ea pertinent, quae BAGLIVUS annotavit de latenti pleuritide et peripneumonia.

§ 494. – Puls ex amygdalis contusis et hordeo contuso, facit ad sordes corporis abstergendas.

§ 495. – BALLONIUS ait (*Cons. XLV*): In plerisque observabamus initio morbi totam corporis cutim maculis rubris suffusam, quibus tamen nil praeterea alienum contigit. Saepe enim aut sanguinis aestus, aut cum fervore quodam iuncta malitia aliquid tale promittit. Id vero nihil periculi iunctum habet: sola aut sectione venae, aut blando cathartico, quidquid est, praeveritur. — Notat STOLL: Hinc caussa

exanthematum videtur esse aut in orgasmo sanguinis, ubi venae sectio, aut in saburra primarum viarum, ubi catharticum valet.

§ 496. – De virium defectione subita, ita scribit BALLONIUS: Quoties vires non constant, nulla praesertim praeeunte evacuatione manifesta, aut similis aliqua re, quae iacturam virium faciat, aut quum febris vehemens non adest, malum illud est ut signum. Malignitas morbi tunc erit aestimanda ex subita virium iactura, si haec nec a manifesta evacuatione pree-eunti, nec a febris vehementia, nec a simili quadam re iacturam virium afferre solita proveniunt.

§ 497. – Pleuritis vehemens summam virium subitamque iacturam facit, quin morbus propterea malignus vocari debeat. Nam ratio debilitatis est in vehementia febris et inflammationis. (STOLL.)

§ 498. – Ait BALLONIUS: Saepe et optimus color et character (faciei) in aegris appareat, quum tamen morbus ad interitum tendat tribus ex causis:

1) Ratione ipsius febris, quae fallacem aliquam faciei viriditatem subinde affert.

2) Si febris ea non sit ingens, aut *συντεκτική*.

3) Si qui aegrotat pulmonum vitio sit obnoxius; qui enim ita affecti sunt, saepe rubro suffunduntur, quod medicis ut advertant imponit maxime.

§ 499. – BALLONIUS saepe observavit, eos aut extrema laborare aut interiore, quibus acris coloris et eiusdem temperati ex intervallis vicissitudo est; nec enim solum vicissitudo caloris et frigoris mala est, ut voluit HIPPOCRATES: « Quosdam videmus interim cum perfrigeratione partium et sudore frigido, ut contingit siccis et extenuatis; alios vero quum febris tempore non sudaverint, aut leviter tantum, sine illa perfrigeratione, cum universalis sudore, multo, calido occidere ». Atque ita, non opinantibus medicis, multi moriuntur.

(*Ad proximum numerum*).

I. FAM.

## ANNALES

### Germanicae res.

Germanicus novus legatorum coetus legibus ferendis revera die xxx superioris mensis Augusti congregatus est; atque licet immoda illa, quae praevidebantur, non successerint, tamen, et ex absentia administrorum collegii, et ob traditum Gorinio, qui Hitleri quali vicarius habetur, munus coetum moderandi, negatumque ab Hindemburgo ei colloquium, quod de gubernii agendi ratione esset, facile innotuit coetum ipsum proxime iri dimissum; quod reapse evenit, novis comitiis ad diem vi proximi mensis Novembris edictis.

Interim Von Papen, gubernii praeses, apud Galliam pro Germania repetivit aequalitatem bellicorum armamentorum sive cum minimo, quod Coetus ad quaestionem de deponendis armis electus omnibus civitatibus constituerit, sive pari armorum libramento ad libramentum composito quod Versaliense foedus Germaniae decrevit. Gallicum gubernium, a quo, ut videtur, Germanicum tantum optabat privata colloquia iniri, per quae solum quaestio poneretur, sibi obtemperandum esse declarans peculiari pactioni cum Anglia initiae, cui aliae quoque civitates assensae fuerant, de Germanicis quae sitis nationes, quae pactionem ipsam subscripsere, certiores fecit, Germaniamque ferunt invitasse, ut Nationum Societatem de re appellaret.

Dum ceteri omnes tacent, Italicus, e contra, gubernii praeses Mussolini, per publicum scriptum diariis traditum, aequalitatis ius pro Germania defendit; quod reiici nequeat quin Germania in ordine inferiori illarum nationum collocata fuerit, quibus non est integrum imperii sui tum civile, tum militare imperium: Germaniae vero moderate, ad ipsam salutem suam,

eodem iure utendum esse, atque tantum quum Conventus de deponendis armis, bene an male, sed prorsus, ianuas suas clauerit.

Tum vero Anglia Germanicam petitionem parum opportunam declarat, hoc magis tempore, quo omnium animi intendere omni vi deberent in favendam mutuorum commerciorum instaurationem et rei oeconomiae universalem compensationem. Quaestionem tamen haud parvi momenti esse, eamque per amicas disceptationes compositionesque, initis foederibus non tamen obnoxias, praesertim circa armorum accretiones, accommodandam.

\* \* \*

### De oeconomicis rebus conventus.

Stresae in oppido ad lacum Verbanum habitus est conventus Lausannae sanctus, qui ad aeconomics res apud nationes centralis atque orientalis Europae instaurandas operam daret. Ei praefuit Georgius Bonnet, Gallicus iam publicorum negotiorum administer, cuius praesertim industria factum est ut a congregatarum civitatum legatis, — inter quos Italicae, Germanicae, Gallica, Angliaeque erant, quippe quae et ipsae sua negotia in iis locis haberent, — pactio inita fuerit de relaxandis gradatim, sed rapide, implicationibus commerciorum libertati nunc obstantibus.

Huiusmodi conventus alter, isque munidialis, Londini habendus esset; sed, rogantibus, prouti dictitant, Civitatibus Septentrionalis Americae Foederatis, ad proximum hiemem est dilatus.

\* \* \*

### Nationum Societas.

Genevae Societatis Nationum supremum consilium communes sessiones suas resumpsit, pariterque coetus ad quaestionem de deponendis armis definiendam consti-

tutus; quarum tamen participem se fore firmiter Germania denegavit priusquam par ceterarum nationum conditio sibi recognita fuerit; quod Gallia aperte tum de-negavit. Proposuit itaque ab Anglia est ut quatuor praecipuae Europae nationes: Italia, Gallia, Germania et Anglia, una cum nordicis Americae Civitatibus, rem Londini concorditer examinarent; huic quoque consilio Gallia adversata est, in sua sententia persistens, quaestionem a Germania propositam intime coniunctam esse cum conclusionibus, quae de depo-nendis armis perfectae fuerint, eamque tan-tum apud Nationum Societatem agi ac definiri debere.

Circa quam quidem deponendorum ar-morum disputationem, Americana legatio novam propositionem exhibuit; dividendi nempe arma in duas classes, alteram pro urbi regimine, ad fines civitatis tutan-dos alteram: hinc singularum civitatum copias constituendas esse.

Vicissim Henderson, Societatis Nationum nunc praeses, in huiusmodi futura conventione confidit; quae scilicet quamlibet novorum armorum instaurationem prohibens, nationumque fidem obligans in mi-nuenda substantiali atque pro rata cuius-que parte terrestria sua, marina aeriaque armamenta, causam quamvis tollat discep-tationum de aequabilitate iuribusque sin-gulorum; Germania sic ceteris nationibus re ipsa aequaretur.

Satisne id Germania habebit?...

\* \* \*

### Mexicana nova in Catholicam fi-dem insectatio.

In Mexicana republica iterum in Catho-licam fidem saevitur, eousque, ut Summus Ecclesiae Pontifex, Pius XI, Catholicorum vexationes encyclicis litteris universo orbi denunciaverit, regulasque in iis posuerit,

quibus non solum Episcopi et Sacerdotes, sed ipsi laici, qui Catholico nomine glo-rientur, in tanto rerum discriminse sese gerant.

Faxit Omnipotens ut Patris sollicitudo, filiorumque pietas fortisque animus opta-tum exitum sortiantur!

POPULCOLA.

### VARIA

#### Maris tempestas ad Bonae Spei promontorium.<sup>1</sup>

A Brasilia ad Bonae Spei promonto-rium immanni trajectu leucas numerant fere mille ducentas. Oceani saevientis ven-torumque furentium ea praecipue regna sunt. In id spatium audacius quam felicius ingressis Maio mense Lusitanis, flammus cometes horribili specie in decimum usque diem continenter apparuit. Iamque variante saepius caelo pelagoque, atrae ac sordidae nubes ad septemtrionem conglo-batae, omnem in se flatum quasi recipro-cando collegerant. Mare languidum erat, insidiosa tranquillitas; nautae locorum ac tempestatum ignari, ad auram undique captandam, totos velorum expanderant sinus; quum ex iis, quas dixi, nubibus, universo repente impetu sese effundens aquilo transversas quatuor naves, quarum ad contrahendum minus apte fuerant ar-mamenta disposita, inspectantibus ceteris, momento ita evertit obruitque, ut e tanto hominum numero nemo prorsus evaserit. In iis Bartolemaeus Diatus, rei nauticae gloria in primis illustris, quum e tot iam tantisque periculis antea fuisset ereptus, miserandum in modum interit. Saluti reli-

<sup>1</sup> Ex historiis MAFFEI.

quis fuere vel demissae raptim antennae, vel, ubi id non licuit, vela ipsa vento disrupta.

Eo tam horrendo ac miserrimo specta-culo exanimati qui superfuerant, consan-guineos alii, alii caros amicosque oculis frustra requirere, ad lacrimas et complora-tionem proni, utique, ni moerorem ex interitu alieno sui cuiusque periculi metus obstupefaceret; quippe borea pertinaciter flante, pelagus identidem intumescere; flu-ctus modo ad astra ferri, modo ad tartara pene ima subsidere; naves cum extremo salutis discriminse propemodum inter se collidi. Ad haec, atra caligo, et rudentium stridor, et dissonae voces varia et incerta iubentum, non oculorum modo, sed au-rium usum abstulerant. Quin, et salum ipsum interdiu piceo, noctu igneo colore terrebat.

Viginti ipsos dies tempestas atrocissima tenuit. Lusitani millies quotidie morientes, et caelestem assidue implorantes opem, qua maris tulit impetus, hac illacque dis-persi. Praetoria cum duabus navibus Bo-nae Spei promontorium per imprudentiam praetervecta, *Primas*, quas hodie vocant, insulas tenuit; ad eam tres deinceps circa Sofalae oram adiunctae. Una, Petro Dia praefecto, per summa pericula et ingentes aerumnas in Lusitaniam rediit. Ita Capra-lis e tredecim navium numero, cum sex dumtaxat, iisque laceris ac delibitatis, ad Mosambicum accessit.

\* \* \*

### locosa.

Tuccio Pater:

— Nequam puer es; in cubiculo tuo te reclude, cuius clavem mihi statim appor-tabis!

Tuccius Patri:

— Verumne est fungos in locis ume-scentibus nasci?

- Ita quidem.
- Ah! nunc tandem percep...  
— Quidnam?  
— Percep... qua de causa fungos ad um-braculi formam effictos esse!

### Aenigmata.

I.

Sub crusta latitans soleo procedere tarde.  
*Rho* mihi subnectas: tibi ius sorbere ministro.

II.

### AEIINNORSTVV

(Hisce litteris opportune collocatis constat tritum satis latinum proverbium).

Aenigmata in superiore fasciculo pro-posita his respondent: 1) *Statua*; 2) *Ramus*.

### EPISTOLARUM COMMERCIO.

Cl. v. M. BOR..., *Englewood*. - Vexata diu quaestio est de recta pronunciatione latina iamque tempus esse puto, ut una ab omnibus assumatur, si inter nos loquentes intelligi vol-lemus. Hanc autem Romanam nostram esse debere nonne tibi videtur? Verisimile enim est hanc, non quidem per certum aliquod tempus, sed indesinenter apud nos adhibi-tam, magis antiquas Romanorum notas ser-vasse.

Cl. v. Ios. SCROF..., *Consentiae*. - Fasciculos quos desideras habere poteris; mitte igitur pecuniam, noxque statim tibi morem geremus.

Cl. v. ANDR. HAB..., *Tirschenreuth*. - Malam tuam valetudinem vehementer doleo; eoque magis de scriptis ad me missis amplissi-mas tibi ago gratias et habeo. Spero futu-rum iam fuisse ut taenias vel institas cuiuscumque generis abiucere potueris, ad pristinam sanitatem ita restitutus ut quindecim illorum annorum deperditum vigorem integrum re-sumpseris. Valeas memor mei semper!

I. F.



[10]

## DE ROBERTI SCOTTI

### NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

O M A R 40

Supra, in tabulato principali, reliqua lignorum pars erat casarum et trahae et omnis itinerum terrestrium apparatus, omnia instrumenta et machinae doctrinum. Sub summo tabulato prorae quindecim stabula mannolorum Mandchuriorum et quinque amphorae pabuli,<sup>1</sup> nam reliqui quattuor mannuli extra program stabulabantur, a parte vento contraria. Post anticam fenestram tres amphorae glaciei depositae erant, et vervecies caesi centum sexaginta duo et tres boves cum vitulini lactis et renum vasis. Post glaciem magnum spatium occupabant vastissimae cistae plus novena metra cubica singulæ, quibus tegebantur duae dynamicæ trahae. Quarum etiam oleum, duae amphorae et dimidia, firmis conditum cistis, non nihil absumebat spatii, sicut etiam petrolei et liquidi paraffini<sup>2</sup> et alcoolis.

Accedebant carbonum amphorae quadrigeniae sexaginta duae, ex quibus demebantur octonae diebus singulis. Receptacula aquae replebantur compresso faeno, uno excepto, quo vehebantur aquae dulcis amphorae duodecim, quantum Scottus satis esse censuerat priusquam veniretur in regionem glaciei. Mannolorum pabulum erant amphorae quinquaginta, praeterea

<sup>1</sup> Ubi amphoram videris, cogitare te volo quod Galli tonne vocant, mille kilogrammata.

<sup>2</sup> Paraffinum est massa cerae similis. Percipitur destillatione ex carbone fusci coloris, ex ligno, ex turfa. Nomen a sapientibus inditum esse videtur ex duobus vocabulis, quae sunt: «paruum» et «affinis», quod illa materia nihil vel parum habere videretur affinitatis vel similitudinis cum ea, unde extracta esset. Naturale paraffinum invenitur in oleo et in cera terrae.

faeni amphorae quinque, placentarum oleatarum amphorae quinque, aut sex, furfurum quatuor aut quinque, et far avenaceum. Stabant ad traharum cistas canes triginta tres, exceptis duobus, ex Siberia adducti. Horum cibus, placentarum caninarum amphorae quinque, passim inter impedimentorum rimas infertae erant.

Vecti sunt *Terra Nova* tribuni septem, physici duodecim, milites quatuordecim, viri triginta duo, summa capitum sexaginta quinque.<sup>3</sup>

Tanta onusta merce, *Terra Nova* solverat et kal. Dec. trecenta quinquaginta kilometra legerat, quum postridie coorta tempestas est et res in summum adducta periculum. Magna aquae vis effundebatur per navis cancellos. Petrolei dolia et cistae pabuli solvi cooperunt, sacci carbonum sublati fluctibus iactabantur in cistas relegatas funibus: vis tempestatis crescebat in horas. Magnus erat labor nocturnus mannulos vel sustinere vel lapsos erigere. Et obturabantur antliae.

(Ad proximum numerum).

<sup>3</sup> Haec sunt nomina praecipua: Ex tribunis: Robertus Scott, dux facti, Eduardus Evans, Victor Campbell, Henricus Bowers, Laurentius Oates, eques, Murray Levick, medicus, Eduardus Atkinson, medicus et parasitologus. Ex physicis: Eduardus Wilson, physicom princeps et zoologus, Georgius Simpson, meteorologus, Herbertus Ponting, photographus, Caecilius Mears, dux curatorum canum, ex militibus: Edgar Evans tribunus maritimus.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS